

## CAPUT VI

1. Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut ibi pascatur in hortis, et lilia colligat.
2. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.
3. Pulchra es, amica mea, suavis, et decora sicut Hierusalem: terribilis ut castrorum acies ordinata.
4. Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum, quae apparuerunt de Galaad.
5. Dentes tui sicut greges ovium, quae ascenderunt de lavacro, omnes gemellis foetibus, et sterilis non est in eis.
6. Sicut cortex mali punici, sic genae tuae absque occultis tuis.
7. Sexaginta sunt Reginae, et octoginta concubinae, et adolescentularum non est numerus.
8. Una est columba mea, perfecta mea: una est matri suae, electa genitrici suae: viderunt eam filiae: et beatissimam praedicaverunt Reginae, et concubinae; et laudaverunt eam.
9. Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?
10. Descendi in hortum nucum ut viderem poma convallium, et inspicerem si florisset vinea, et germinassent mala punica.
11. Nescivi: anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab.
12. Revertere, revertere, Sulamitis: revertere, revertere, ut intueamur te.

## PRIMA EXPLANATIO

DILECTUS MEUS DESCENDIT IN HORTUM SUUM. Cur per urbem tam sollicite quaerebat ipsum, si descendisse sponsum in hortos sponsa cognoverat? Ergo haec non ita accipienda sunt, quasi id ante novisset sponsa, sed quasi nunc primum, vel audita sponsi voce, vel viso aliquo ejus alio signo cognoscat, et ex eo signo, voceve, gaudio nec opinato correpta, in haec verba prorumpat: DILECTUS MEUS DESCENDIT IN HORTUM SUUM AD AREOLAM AROMATUM, UT IBI PASCATUR IN HORTIS, ET LILIA COLLIGAT. Quibus quidem verbis sibi ipsa quodammodo gratulatur de eo, quod suum

virum invenerit: vel certe subaccusat se ipsam tarditatis, et stuporis, quod sibi, per sexcenta loca virum quaerenti, de horto cogitare non succurrisset: itaque dicit: Sed o me stultam et caecam, quam nunquam subierit cogitatio de horto. Hem in horto ille, quemadmodum certissimis signis percipio, versatur.

Dicit autem, DESCENDIT, quia locus et tanquam *σχημα* hujus dramatis constituitur Hierosolymis, quae in edito montis loco sita, ejus montis ad radices hortos habebat, et pomaria amoenissima. Igitur ut illum ascendentem et appropinquantem aspexit, quod in re cupide quaesita, et praeter spem inventa, fieri saepe solet, prae gaudio animi impos exclamat: EGO DILECTO MEO, ET DILECTUS MEUS MIHI, QUI PASCITUR INTER LILIA. Cui ille, ex quo jam rediisse intelligitur, ita respondet: PULCHRA ES, AMICA MEA, SUAVIS ET DECORA, UT HIERUSALEM, TERRIBILIS, UT CASTRORUM ACIES ORDINATA. Suavis in Hebraeo non adjectivum nomen esse videtur, sed urbis nomen proprium, nisi quod latinus interpretes notationem verbi hebraici reddere maluit, quam ipsum verbum retinere: id autem est *תרצה* Thirsa, quod a suavitate ductum urbis nomen erat regiae, atque nobilis in sorte Ephraim, in qua, antequam conderetur Samaria, Israelitici populi Reges residebant. Appellabatur autem Hebraeis Thirsa, quod Latine redditum sonat suavis: propterea quod et agri ubertate, et loci amoenitate, et aedificiorum magnificentia atque cultu, apta nimis erat ad vitam jucunde et suaviter traducendam. Hierusalem porro, et ipsa Regum Juda urbis regia fuit pulcherrima, et nobilissima omnium, non solum Syriae urbium, sed etiam Asiae prope totius. Igitur sponsus, qui superius ita copiose et accurate laudavit sponsam, nullum ut neque caeteris, neque adeo ipsi sibi uberius ipsam laudandi locum videtur reliquisse, se ipse nunc aggreditur superare, et superioribus laudibus, quibus videbat nihil addi posse, magnum etiam nunc addere parat laudum cumulum. Non